



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 115. Venetorum exercitus pedem referre a Ferrariensi compulsus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Secul. XVI.
A.C. 1510.

Pontifex minime devictus, præclusa omni exceptione sibi obtemperari voluit; unde Veneti, usque dum integram classem adornarent, præter quasdam Reipublicæ Mercatorum naves pretio conductas, ex Insulis quoque illa, quæ ibidem habebant, navigia advehunt, tandemque ex cunctis hisce navalem exercitum contrahunt, quem in duo partiuntur agmina, ut præfatas urbes cingerent. Præterea mediam terrestri sui exercitus partem in Ferrariensem ditionem educere compellebantur, has vero copias, obsidione Veronensi jam soluta, omnino sibi inutiles esse obtendebant.

§. CXV.

Venetorum exercitus pedem referre a Ferrariensi compulsus.

Guicc. l. 9.
fol. 256.
Bembo hist.
Venet.

Ferrariæ Dux inter tot arcta prehensus, Ducatus sui jacturam haud temere verebatur; ast opportuno gemini casus concursu feliciter metuliberabatur; quippe Gallorum agmen pontem, quem Venetorum copiæ flumen trajecturæ Pado imponere cæperant, igne succendit: Papa vero periculoso corripiebatur morbo, medicis ferme de ejus salute desperantibus, quin imo per aliquot dies ad momenta animam efflare credebatur; in ipso enim infirmitatis æstu, nunquam a glacia-

glaciato potu, crudisque pomis abstinere voluit. Nihilominus virium suarum vigor mali vim, neglectamque valetudinis curam superabat: Igitur morbo defunctus, præprimis prælium committi jussit, sed suorum nonnullis pugnae anticipis discrimen objicientibus, copias suas Mutinam versus reduci concessit, ut hæc urbs defenderetur, ejusque præsidio ipse exercitus simul ab hostium insultu tutus esset. Nihilominus Venetorum res penitus perturbabat classis suæ in Pado flumine hærentis jactura; hæc enim, cum nihil propius esset, quam ut Adriam procurreret, atque alteri classi, quæ in Athesino fluvio erat, sese adjungeret, a Ferrariensi Duce funditus disjecta fuit.

Sæcul. XVI.
A. C. 1510.

§. CXVI.

Comitia Cleri Gallicani jussu Franciæ Regis Turonibus coadta.

Quamvis Galliarum Rex Pontificiam dignitatem summo studio veneraretur, anathema tamen, cujus supra minimus, flocci pendebat, quod summus Pontifex auctoritatis suæ limites excessisset, proin illud manifeste nullum foret.

Belc. l. 12.

n. 14.

Raynald. hoc

ann. n. 20.

Ceterum, ut ipse quoque spiritualibus armis Papæ sacram opponeret potentiam, totius

Guicc. lib. 9.

totius